

17

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

1705

1. Burger, Johannes Jacobus : De mandato iuris iusti processu.
2. Cracens, Magnus : De silentio principibus magistrorum.
3. Dreyzel, Joh. Georg : De fundamento nonnullarum actionum, quae ex obligacione iure civili ac mortibus pecuniariorum recepta, orantur.
- 4^o H. Hebraeus, Henricus : Omnes decretares 1629 in instrumenti Pacis Cesares - Species Archivo V. iher Romanorum. Catholicon. ex una, et ita quatuor confessiones ad duas in altera parte. 2 fasc.
5. Hoffmann, Joh. Conrad : De lucro iuris iusti conjugalis usq[ue] ad terminum regule.
6. Käber, Caspar Christianus : De pecunia ad iuris regulari non ordinaria.
7. Käckel, Johannes Ludovicus : De moderatione sibi sum imperii matriculari.

8. Ruckulum, Stephanus: De legi principiis imperii fidei 8.
9. Langius, Joh. Michael: De sepultura caninis 9
10. Wagenknecht, Dr. Christopherus: De Testaceis 11
1716
1. Beck, Joh. Tacitus: De conjugali debiti praestatione 11
2. Sciente.
2. Boze, Joh. Tacitus: De iure representationis colle-
tationis in feudis. 3.
3. Fichtner, Iohannes Georgius: De dole et fraudem legei 4.
4. Hildebrand, Marian: De dole reprehendi constante
matrimonio. 1 Samt. 1706 - 2738 5.
5. Hoffmann, Joh. Mauricius: De pancreotide
6. Zoepfer, Adam Lazarus: De jure venandi ex
generati iustitiae, et subfeudum validi concerto,
et respectu subiunctivis contractu 6.
7. Kogler, Stephanus Gottlieb: De mycetaria cestorum 7.

8. Mittern, von Grub : Specimina
9. Spizias, Tetra : Tobias Carolis Instiniensis con.
spectus.

1707

1. Breitenthal, Petrus Teobaldis : De jure berhardorum.

2. Richter Ignatius Georgius : De convictione ex canonis
non debiti.

3. Richter, Georgius : De imperatoris Iovinus uniuersi-
tatis

4. Hildebrand, Henricus : De praenumeratione capi-
varum particularium, like pectora, facies.

5. Hildebrand, Henricus : De curis et ordinatione imperii
comuni

6. Hoffmann, Joh. Mauricius : Specimen physiologico -
anatomicum secretioris animalis.

7. Kuller, Fr. David : Specimen archaeologicum Romanum

8. Langus, Joh. Ulrich : De aevione non testamentis
barbara Graeca.
9. Lutherus, Georgius Fabricius : De testamentis
principum absque solennitate validis
10. Mylius, Janus Turcicus : De remedio sententiae
recubitionem imperviabilis
11. Werner, Adam Balduin : De errore ius faciente

22

135
122

DISSERTATIO JVRIDICA

De

ERRORE ¹⁷⁰⁷
JVS FACIENTE,

Qvam

DIVINO ADSPIRANTE
NVMINE,

SVB PRÆSIDIO

DN. ADAMI BALTHASARIS
WERNERI,

JCTi, Sereniss. Ducis Saxo-Weissenfels.

Consiliarii,

Pande&t. Prof. Publ. Ordinar. & Facultatis Jurid.
h. t. Decani,

in Ordine, qvem vocant, Circulari.

d. Jun. A. C. MDCCVII.

H. L. Q. C.

publicæ disquæstionis submittit

AVCTOR & RESPONDENS

JOHANNES LVDOVICVS MYLIVS,

Solisb. Palat.



ALTDORFI NORICORVM,

Excudit HENRICVS MEYER, Univerſitatis Typographus.

KONFRIED
UNIVERS.
ZV HALLE



Q. D. B. V.

Ut tantæ monumenta, Eruditorum indefessa
 exegit diligentia, ut vix excogitari quicquam
 queat, quod non dictum scriptumq; sit prius.
 Cum vero neminem Ddru maddenus, quant-
 tum mihi constat, de Errore Jus faciente in
 specie scriptissime persuasum mihi sit; hinc exi-
 guum editurus Specimen Academicum, bujus thematis expli-
 candi partes in me suscipio. Quod reliquum est, in materia
 bujus laudes exsurgere haud necessarium esse censeo, utpote
 cuius usus non minus in foro versantibus, quam subtilitatem
 Academicam sectantibus, se commendat. Primum itaq; que-
 dam de erroris & juris conceptu generalia premittere, siue
 istorum vocabulorum acceptiōem, una cum necessariis distin-
 ctionibus utriusq; (erroris & Juris,) nec non cum descriptione
 erroris jus facientis, exponere; deinde vero, quomodo error
 tam legem proprie sic dictam, quam jus & obligationem medi-
 ante sententiā Judicis aut voluntate privatorum, producat, do-
 cere animus est: ubi quidem, premissa consideratione, quomodo
 error Juris & facti generatim ratione errantium jus faciat,
 postea differere luet de specialibus materiis, in quibus error
 tale jus mediante sententiā Judicis aut voluntate
 privatorum operatur.

A 2

Se-

SECTIO I.

Conceptum ac distinctiones erroris & juris exponens, variâ vocabulorum horum acceptione præmissâ, ac additâ. erroris jus facientis descriptione.

E.

Priusquam rem ipsam, verbis quamvis potiorem, arg. L. 17. ff. de LL. aggrediar, paucissim ad meliorem materiae intellectum, significatus verborum varios, quibus titulum dissertatione præfixum concepi, juxta dictum Imperatoris in L. 1. pr. ff. de Jus. & Jur. inquirere juabit. Primum Error se offert. Veram & genuinam significationem vocabuli hujus quod attinet, ea facile apparet ex verbo cognato *errare*, quod est aliud pro alio putare aut sentire. Homonymia nulla prorsus difficultate laborat: dupliciti enim sensu vox hæc usurpata in Jure reperitur, (1.) proprio, pro vagatione seu oberratione, quæ quis corpore hinc inde errare dicitur; sicut vocabulum erroris acceptum legitur in L. 225. ff. de Verb. Signif. & L. 1. §. ult. ff. de serv. corrupt. ubi Ulpianus hominem ejusmodi vagantem erronem vocat, & errare pro vagari sumitur in L. 3. §. 3. ff. de Offic. Praef. Vigil. (2.) *improprio*, quando quis vel incertâ mente hinc & inde errat seu titubat, dubitatque, conf. L. ult. C. de condit. indeb. L. 22. §. 2. C. de furt. & serv. corrupt. Frantz. de condit. indeb. n. 17. vel veritati contrarium fover opinionem, verum nempe pro falso, falsum quod est, pro vero, certum pro incerto, & vice versa agnoscens, Calvin. Lex. Jur. voc. error. Hæcque ultima significatio, quæ hujus loci est, passim in Jure se offert, arg. tot. Tit. ff. & Cod. de Jur. & fact. ignor.

II. Alias

Alias in jure non ignota *ignorantia*, quæ in eo confitit, quod quis rei alicujus plane sit ignarus, nec ullam ejus cognitionem, adeoque neque veritati consentaneam, neque erroneam habeat, id. Frantz. d. l. Hinc Calvin. *Lex. Jur. vocab. error*, errorem inter & ignorantiam eam differentiam admisit, quod latior ille sit, & ignorantiam semper comprehendat aut importet, ita, ut sine ignorantia (veri) error nunquam, bene tamen ignorantia sine errore esse queat, (id quod in dubio & in ignorantia rerum penitus ignorantiarum contingit;) deinde idem auctor errorum veritatem nunquam admittere, sed falsum semper sequi; ast ignorantiam & veri & falsi esse posse tradit. Interim non negligandum, cum error semper ignorantiam importet, promiscue in Jure usurpari errorem & ignorantiam; id quod inter alia patet ex L. 7. C. de *Jur.* & fact. ignor. ubi error de ignorantia facti, junct. L. 4. & 7. ff. cod. ubi de errore *Juris*, ignorantia prædatur. Quo adeo sensu (nempe erroris & ignorantiae vocabulis promiscue acceptis,) error esset veritati contraria, aut dubia opinio, aut rei nulla prorsus cognitio, Frantz. ad tit. ff. de condit. indeb. n. 17. Lauterb. comp. *Jur. de Jur.* & fact. ignor. Nobis tamen errorem stricte hic accipere lubet, pro opinione scil., quam quis habet, veritati contrariâ, Laut. comp. *Jur. d. l.* quamvis & aliquando ad ignorantiam, ob jura errori & ignorantiae in pluribus communia, hic simus respecturi.

Divisio erroris varia est, vid. Struv. S. J. C. Exerc. 28. tb. 51. Omnes hic enarrare species superfluum esse judicofit mentio, & hoc facit, ea est, quâ error vel *Juris*, vel facti esse dicitur, L. 1. pr. ff. de *Jur.* & fact. ignor. & tot. tit. C. cod. Hic est veritati circa ipsum factum vel circumstantiam ejus contraria opinio, Brunnenm. ad L. 1. de *Jur.* & fact. ignor. Zoes.

ad eund. Tit. n. 5. V. g. si quis putet eum vivere, cujus bonorum possessio ipsi delata, aut si credere nolit, se esse scriptum heredem, & hinc nec adeat hereditatem, in facto errasse dicitur, d. L. 1. § 1. ff. de Jur. & fact. ignor. Error Juris vero est, quando quis falsam vel contrariam de iis opinionem fovet, quæ legibus sunt præscripta; V. g. si quis sciret equidem, se esse scriptum heredem, arbitraretur vero, Præterem in L. 1. § 3. ff. de bon. poss. secund. tab. possessionem bonorum secundum tabulas, quæ semel exstiterant mortuo testatore, extare vero postea desierunt, ei non permisisse, & per consequens bonorum possessionem petere omittat; hic circa Juris dispositionem errorem committeret, L. 1. §. 1. ff. de Jur. & fact. ignor. Alia distinctio erroris, eaq; non levis momenti est, quâ dispescitur in injustum, seu, ut Philosophi loquuntur, *vincibilem aut voluntarium*, Struv. S. J. C. Exerc. 28. lib. 59. qui scil. hominis diligentia debitâ superari potest aut potuit, arg. L. 5. C. de peric. Tut. (sive enim in se & suâ causâ, sive tantum in suâ causâ sit voluntarius, nil interest, conf. Puf. de Off. hom. & Civ. Libr. 1. cap. 1. §. 8. ibid. Tit. Observ. 27. hicque error vincibilis, quando culpâ majore aut malitia vinci intermittitur, audit *supinus*, *craesus*, *affectatus*, L. 6. ff. de Jur. & fact. ignor.) & in justum sive invincibilem, qui videlicet debitâ adhibitâ industriâ superari nequit, Consil. Tubing. 30. n. 48. & 49. Debita autem industria in eo consistit, quod justus facti error solam bonam fidem exigat, seu ad eum sufficiat, ut non sit affectatus, d. L. 6. ff. de Jur. & fact. ignor. contra autem invincibilis Juris error præterea requirit, ut etiam circa jus dubium, intricatum, ac varie intelligibile occurrat, Consil. Tubing. 30. n. 48. Usus quoq; magni est distinctio erroris in efficacem atq; concomitantem; de quâ missis aliorum hypothesibus, ita habendum, quod error efficax sit, qui committitur supponendo ea, quæ natura negotii, vel tempestiva agentium destinatio, indicio habili declarata, (quæ inter indicia

indicia etiam referenda communis hominum opinio , aliquas circumstantias ad negotium aliquod requirentium,) requirit, ac adeo consensum excludit , imputationemque actus impedit; Concomitans vero error est , qui committitur supponendo circumstantias , quæ talibus modis ad negotium non requiruntur , nec adeo consensum excludit , aut imputationem impedit , conf. cum his ferè consentientem Dn. Tit. Observ. in Puf. de Offic. hom. & Civ. Libr. 1. cap. 1. §. 8. Observ. 25. n. 2. Tandem hīc observandum , errorem quandoque dolo elici , quandoque citra dolum oriri ; non enim non potest dolus ab uno adhibitus , in altero errorem producere , nisi dolus effectu suo frustretur. Nos tamen de dolo separatim & specialius considerando , seu circa investigationem , cur & quomodo dolus jus pariat , haud erimus solliciti.

IV.

Jam ordo nos dicit ad vocabulum *Juris* explanandum. Dicitur autem jus , si Juri Romano credendum , à fine , quem intendit , *Justitiā* , L. 1. pr. ff. de *Just.* & *Jur.* arg. L. 90. ff. de *R. Jur.* & L. 24. §. 1. ff. de *minor.* quiem finem licet non semper consequatur , relatio tamen fit ad id , quod fieri debet , & *Juris* est , non quod accidit sæpius , & facti esse dicitur , arg. L. 65. §. 2. ad *SC̄tum Trebell.* Alii Grammaticorum more invertunt ordinem , & *justitiam* à *jure* derivatam tradunt; at vero JC̄tos cum Ulpiano in d. l. 1. pr. ff. de *Just.* & *J.* more suo loqui , (ita enim etiam pactum à pactione derivant , L. 1. §. 1. ff. de *Pact.*) clarum est , conf. Gothofr. ad eand. L. 1. ff. de *J.* & *J.* Calvin. Lex. *Jur.* voc. *Jus.* item Ludwell. Comm. ad *pr. Inst.* de *J.* & *J. n.* 1. ubi *Jus effectum Justitiae* dicit , quatenus ea *jus* & *leges* constituit ; in quo asserto Ciceronis auctoritas consentit , qui allegante Calvino *jus ex Justitiae fontibus emanare* dicit , conf. Manz. Comm. *Inst.* ad rubr. Tit. de *J.* & *J. n.* 1. Sunt etiam , qui *jus à Justitiā appellatum* tradunt tantummodo eo sensu , quo artem *juris* , non quo æquum & bonum significat,

ficat, Conf. Hub. *Digress. Just. part. 1. Libr. 1. c. 5. num. 1.* à quibus autem discedunt plurimi Doctores, vid. Ludwell. d.l.

V.

Quod vocabuli hujus homonymiam concernit, varia id notat, ut videre est ex L. 11. ff. de *Just. & Jur.* (1.) enim pro ipsa *Jurisprudentia* accipitur, L. 1. ff. de *Off. Affeſſ. L. 9. §. 4. in fin. ff. de Pæn.* ubi *Juris studiosi Jurisperitos* denontant. *Jus* (2.) alia significatione locus dicitur, *in quo Jus redditur*, d. L. 11. ff. de *J. & J. rubr. de injus vocand.* hocque respectu in *Jure respondere* idem est, ac in *Judicio respondere*, L. 4. §. 1. ff. de *interrog. in Jur. fac. L. 56. §. 1. ff. mandat. L. 2. ff. ad SCum Vellej.* L. 6. ff. de *fer.* L. 1. §. 7. ff. s̄ quid in *fraud. Patr. L. 29. §. 1. ff. de donat.* Interdum tamen *jus & judicium* separantur, & diverso accipiuntur sensu, L. 12. ff. de *interrog. in Jur. fac. L. 15. ff. Rem rat. hab. conf. Schilt. Exerc. 7. ad ff. §. 3.* (3.) Sumuntur pro potestate tum in se, tum dominicā & patriā, rubr. de his, qui suī vel alii *jur.* (4.) pro necessitudine, L. 12. ff. de *J. & J. &c* (5.) pro qualitate rei alicui ē inherente, quomodo servitutes jura appellantur, L. 86. ff. de *V. S. L. 1. in fin. de R. D.* (6.) Notat facultatem moralē, aliquid voluntati Imperantis convenienter agendi, quomodo *Juri suo pro se introducto*, quilibet renunciare posse dicitur in L. 29. C. de *Pact.* Immo (7.) *jus ipsam legem* denotare novimus. Hęc in latiori significatu accepta vel expressa est, vel tacita; nam consuetudo etiam, consensu utentium comprobata, legem imitatur, §. 9. *Inſt. de J. N. G. & C. L. 32. §. 1. ff. de LL.* Dico: legem imitatur; nam proprie loquendo vocabulum juris appellatione legis est generalius, quippe quod de jure scripto & non-scripto indistincte prædicatur, d. L. 32. ff. de *LL.* Lex vero semper speciem Juris scripti presupponit, & de jure non-scripto in *Jure Romano* vix posita reperitur. Deinde lex dividitur in *universalem*, (eamque vel simpliciter, universos scil. homines obligantem, qualis

qualis est lex divina, Nat. & Gent. §. 11. Inst. de J. N. G. & C. vel secundum quid talem, nempe in certâ Republ. omnes ci- ves obligantem, quo pertinet jus Civile, §. 1. 2. Inst. de J. N. G. & C.) & in particularem, quæ vel universitatem civitate mi- norem, vel singulos stringit. Denique (§.) jus notat obliga- tionem, Judicis sententiâ aut voluntate privatorum liberâ, (non tamen sine concurrente Imperantis dispositione,) constituta- tam, eiisque correspondentem ab alterâ parte facultatem mo- ralem; quomodo pactum sive conventio, non nisi contrahen- tes obligans, jus inter eos producit, arg. L. 1. pr. & §. 2. ff. de Paet. Pariter hoc sensu jus inter partes facit sententia Judi- cis, litigantibus promulgata, à quâ recedere temere ipsi haud permisum, l. 1. C. sentent. rescind. non poss. l. 3. C. comminat. E- pisi. &c. Imo lapsu decem dierum sententia in rem judica- tam transit, quæ postea pro veritate habetur, l. 25. ff. de Stat. homin. l. 3. pr. ff. de agnoscend. & alend. lib. Nec ali- ter ultima voluntas jus parit, L. 120. ff. de Verb. Sign. cum heredes ad exactam testatoris voluntatem in testamento ex- pressam adstringat, arg. §. 5. Inst. de Oblig. que quasi ex contr. & l. 5. §. 2. ff. de Oblig. & Aet. Huc porro spectat, quod jus alteri etiam eo ipso quis constitutat, quando liberâ suâ vo- luntate sibi præjudicat, forte jure suo per legitimum præscri- ptionis tempus, aut plane non, arg. §. 3. Inst. de usufr. L. 13. C. de serv. & aqu. aut alio modo utens, quam debebat uti, l. 1. §. 5. ff. usufr. quemadm. car. l. 20. ff. quib. mod. usufr. l. 10. §. 1. ff. quemadm. serv. amitt. vel etiam alteri sibi præjudi- canti, quod præjudicium ab ipso parari sibi sciverat, non contradicens, l. ult. C. de prescript. long. temp. tunc enim ali- quis partim renunciâse juri sibi competenti, partim in al- terum quasi jus suum transtulisse censetur; tolerantia enim & patientia in præscriptionibus loco tituli dominium transfe- rentis esse etiam solet, l. 10. si serv. vind. Denique delicto et- iam aliquem jus sibi ipsi constituere certum; nempe occasi- onem

one delicti hoc jure gaudent delinquentes , quod damnum datum restituere tenentur , & quod puniendi sint ; interest enim Reipubl. ne delicta maneat impunita , & obligatio-
nes nasci non aliter ex maleficio vel quasi , ac ex contractu
vel quasi , notum ex pr. Inst. de Oblig. qua ex delict. nasc. Sa-
pe etiam error , quo concurrente vel quo praesente delictum
commisum , poenam vel cessare vel mitigari facit.

VI.

Sic ergo vocabulorum , que in rubro occurunt , signifi-
catione eruta , variisque eorum acceptationibus recensitis , ad-
damus oportet , per errorem jus facientem hic loci nobis ve-
nire contraria veritatē opinionem , que legi propriè sic dicta ,
eig. expressa aut tacita , aut etiam facultate morali obligationi-
que , sententia Judicis aut privatorum voluntate , non tamen sine
concurrente Imperantis dispositione , constituenta , occasionem pre-
bet ; neque interest , utrum pacto , an ultimā voluntate , utrum
delicto , ~~an omīscō contradictione actuum aliquā prajudicantium~~ ,
voluntas illa privatorum explicetur . Præterea notandum ,
quod jus , quod error facit , quandoque ipsorum errantium ,
quandoque vero aliorum favorem concernat ; quoties enim
error errantibus nocere aut prodeſſe committere affirmatur , is
jus revera facit in eorum aut aliorum favorem .

SECTIO II.

*Exponens , quomodo error legem propriè sic
dictam producat.*

I.

Imperante humanam subditis suis legem circa ea , que
Jure Divino , in primis Naturali , neque præcepta ,
neque prohibita sunt , ferre posse quem latet ? Hoc
voluntatis Imperantis Decretum subjectis sancte custodi-
endum , sive erroneous , sive veris persuasionibus , iisque aut
ipsius

¶ 11. ¶

ipius Imperantis , aut aliorum menti inhærentibus , origi-
nem debeat , modò , quod jam tetigimus , juri Divino , inpri-
mis Naturali , contraria nec jubeantur , nec vetentur . Sane
enim conditio humani generis ea est , ut aliis huic , aliis illi
sententia calculum adjiciat . Si jam Cives inquirendi facul-
tate gauderent , utrum vera principia , an falsæ opiniones le-
gi , alioquin clare aliquid præcipienti aut interdicenti , funda-
mentum præbeat ; & obsequium denegare legi liceret illi sub-
ditorum Clasi , cui falsa opinione niti lex videtur ; quis non
disruptum iri vinculum Societatis Civilis , cum tanta inter
mortales sententiarum dentur divortia , facillime perspicit ?
Equidem Imperantis est legem suam mutare , quam initio er-
rore aliquo ductus , prudentiæ minus convenientem condidit :
attamen lex ex errore lata non semper ab initio in iis , quæ
disponit , prudentiæ regulis repugnat ; imo lex inveterato
usu comprobata , utrat ad errorem ortum suum referens , ex
postfacto rarius prudentiæ suffragante tollitur . Dico : rarius ,
nam lex erroneâ opinione nixa , & quidem tali , quæ verita-
te detectâ Reipubl. saluti aut alias Juri divino contraria esse
apparet , utique ob supremam civitatum legem , nempe salu-
tem publicam , aut propter præceptum divinum aliàs agni-
tum , urytote quod nulla Imperantis humani constitutione li-
mitari valet , ulterius subsistere nequit . Quicquid vero hac
de re tandem sit , saltem id extra controversiam positum es-
se reor , subditos obligari ad leges , quæ ex errore profectæ ,
observandas , (modo illas Juri divino evidenter contrariari
non statim ab initio Cives sentiant,) donec iis ab Imperan-
te vis obligandi dematur .

II.

Juris apud istum Populum conditi receptio , ab Imperan-
te hujus Reipubl. facta , revera vim sortitur legislationis ; nam
quasi in alia Republicâ leges alibi vigentes de novo conduntur ,
quando in eâ recipiuntur . Si ergo lex extranea alicubi in

subsidium, (hoc est, ita, ut sequenda demum sit, si deficiant
 iurium, quæ antea ibi obtinebant, dispositiones,) fuerit re-
 cepta, ex errore vero & jura docentium, & in foro tum di-
 centium, tum de iis disputantium, invaluerit sententia, rece-
 ptum jus præ jure antiquiore esse docendum, discendum, ab
 advocatis & judicibus in praxi attendendum; quis negabit,
 hoc in casu ex errore legem, eamque vel tacitam, vel ex-
 pressam nasci, si talia peragantur, aut Imperante ea non at-
 tendente, nec ausus Doctorum pragmaticorum inhiben-
 te, aut expressa etiam voluntate istum valorem Juris extra-
 nei approbante? Tale quid contigit apud Germanos, cum in-
 ter illos Jura Justinianæ ac Feudalia Longobardica reciperen-
 tur. Notum enim ex historicis, Germanos olim propriis
 suis usos fuisse consuetudinibus & legibus, juxta quas dice-
 bant sententias, civiumque controversias decidebant. Post-
 quam vero Jura tum Justinianæ, tum Feudalia Longobardica,
 sensim inter Germanos in foris fuerunt recepta, imo tan-
 dem ad exemplum Nationis Italicæ in Germanorum quoque
 Academiis doceri cœpere; equidem hancce iurum peregrini-
 norum receptionem initio non alia intentione factam esse, do-
 ceri potest, quam ut ista jura tantummodo in subsidium consue-
 tudinum ac legum Germanicarum antiquarum in praxi atten-
 denda essent, quo modo etiam aliquo temporis spatio in foris
 non aliter attenta fuere; paulatim tamen hac ipsa occasione
 mores illi & jura antiqua Germanorum oblivioni tradita: Vid.
 Conring. de Orig. Jur. Germ. cap. 33. add. omnino Conrad. Sin-
 cer. (h. e. Kulpis.) dissertat. Epistol. de Germ. leg. vet. ac Rom.
 Jur. in Republ. nostrâ origine auctoritateque presente, Maurit.
 de Libr. Jur. Comm. §. 21. Excell. Dn. PRÆSIDIS Specimen Com-
 pend. Jur. præf. p. 3. ibid. allegat. Quæ oblivio sive affectata,
 sive ita comparata, ut sensim incuriosis obrepserit, errorem
 peperit, eumque diuturnitate temporis comprobatum, quod
 jura Romana & Longobardica feudalia, quasi abrogatis Juri-
 bas

bus & moribus Germ. antiquis sint substituta, & adeo iisdem Legibus hodie nitens fundatam tamdiu habeat causam & intentionem, donec ab adversâ parte, contraria Juris antiqui ob-servantia demonstretur, arg. Ord. Cam. P. I. Tit. 18. Carpzov. p. 2. dec. 101. & 181. n. 9. Maurit. d.l. sive de libr. Jur. Comm. §. 27. Lauterb. conclus. forens. Exerc. 1. th. 1. Excell. Dn. PRÆS. Spe-cim. Comp. Jur. d. l. p. 3. & Programm. eidem Tractatu annexo, p. 133. 134. Imo non solum declarantur, verum etiam restrin-guntur hodie Jura Provincialia & statutaria ex legibus Rom. id. ibid. quamvis nulla lex aut constitutio expressa habeatur, quâ jura antiqua & mores Germanorum veteres abrogati probari queant. Id. Conring. d. l. Maurit. d. l. §. 22.

III.

Observationis hujus usus in eo consistit, ut revera tan-tum in subsidium recepta Jura Romana ac Longobardica Feudalia, euidem in Dicasteriis sequi teneamus in materiis, quarum ratione, ob Jus Romanum aut Longobardicum leges aut mores Germ. fuisse neglectos, & forte in causarum deci-sionibus (id autem contingit in materiis v. g. contractuum, testamentorum, &c.) ad sola Jura extranea solere recurri, ex praxi clara atque certa constat; (unde nimis aduersantur pra-xi, quæ de Exceptione non numeratæ pecuniae privilegiariæ notantur in Volkmann. emendat. part. I. Tit. 3. cap. 35. n. 19. ;) At verò, quando consuetudo Germanica antiqua aut legis antiquæ observantia in omnibus aut multis locis viger, aut le-ges etiam Romanorum, moribus nostris hodieque obtinen-tibus non concordant; tunc potius mores Germanici aut Ju-ra patria antiqua præ extraneis consulenda, ne error, qui ex scholis veritati merito litantibus utique exterminandus, in foris ulterius serpere permittatur, quam quoisque ibidem in-valuit accedente Imperantium consensu: Quid? quod eo ipso, quando constat aut docetur, multis in Locis Germaniae obser-vari Leges aut mores antiquos, præsumtive simul proberet,

Juris legibus Romanis aut Feudalibus Longobardicis contrarii observantiam etiam in aliis Germaniae locis obtinere. Conf. omnino Schilt. additam. Exerc. ad ff. 2. §. 12. ubi tres refert sententias de auctoritate Juris Romani & Patrii in Germania, ab Eruditis propositas; nempe Legistarum, Conradi Sinceri, (cujus sententiam amplectuntur etiam Dn. Thomas. ad Monzamb. cap. 5. §. 13. nec non Dn. Titius obser. 1. ad Comp. Lau-terb. pref.) atque medium inter utramque, seu suam; in primis que hoc spectat, quod ibidem monet, prudentem nempe in-terpretem ita attemperare introductionem peregrini Juris, ut segreganda ea doceat, quæ principiis Juris Patrii, moribus populi, aut expressis sanctionibus adversentur; itemque, ut Romani & Germanici populi mores statusque diversæ Rei-publicæ rite discernendi sint, &c, quæ secundum has normas receptibilia sint, accuratius dijudicandum veniat. His ergo ita se habentibus, ex moribus & respective ex sanctionibus Germanorum antiquis, non ex Romano Jure, eruenda sunt jura hominum priorum, Exc. Dn. PRÆS. Spec. Comp. Jur. Tit. ff. de Stat. hom. p. 120. exque eodem fundamento Jura simultaneæ investituræ præ juribus successionis consanguinitate nixæ at-tendenda, Dn. Tit. Deutsch. Lehrricht c. 11. §. 7. ac cap. 22. §. 9. & Schilt. Rhet. Iter. ibid. d. §. 7. allegat.

IV.

Pariter lex propter tacitam Imperantium voluntatem Ci-vibus observanda, ex errore nascitur, si etiam actibus subdi-torum alii, quam circa introductionem ac observantiam ju-rium peregrinorum occupatis, iisq; similiter ex errore sive Juris humani, sive facti promanantibus ac susceptis, consuetudo quædam nitatur, Principisque tacitâ voluntate, (quæ proprie, non actuum subditorum frequentia errorque in iis occurrens generatim jus hic facit,) approbata observetur, vid. l. 32. §. 1. ff. de LL. l. 1. C. quæ sit long. consuet. l. 1. C. de edif. priv. §. 9. Inst. de J. N. G. & C. add. Exc. Dn. PRÆS. Spec. Comp. Jur. ad tit. ff. de

de LL. p. 50. ubi ejusmodi consuetudinem merito restringi simul monet; quam ob rationem etiam Spho præcedente effectum opinionis erroneæ de jurium peregrinorum receptione in Germania, rectè, nî fallimur, restrinximus.

V.

Sed ita nobis quidem videtur. Sunt autem, qui negant, consuetudinem ex errore introductam valere, è quorum numero est Tab. in Coll. Jur. Rom. & Hung. Sect. II. rubr. de jur. non script. Nituntur ii potissimum l. 15. ff. de Jur. ad. sed legem allegatam de consuetudine plane non loqui, apertum. Urgent etiam, consuetudinem irrationalib[ilem] (ex errore vero introductam ratione utique carere,) nullius esse momenti; verum tum legum scriptarum, tum non-scriptarum ratio, seu fundamentum, quo nituntur, antequam fuerint latæ aut introductæ, dari semper haud potest, l. 20. ff. de LL. Aliò verò sensu accipitur ratio, quando inter consuetudinis requisita, ut non sit irrationalis, recensetur; nempe eam contra jus divinum, in primis contra jus Naturale, non debere impingere, hoc ipso afferitur, l. 14. & 39. ff. de LL. Sed hoc sensu accepta ratio contra nos urgeri omnino nequit, cum subditorum actus, etiam ex errore suscepti, qui consuetudini ansam præbent, Juri Divino, in primis Naturali, repugnare minime debeant. Utique enim irrationalis juxta hunc significatum consuetudo est prohibita, cap. fin. X. de consuet. nam hæc corruptela potius, quam consuetudo est, Can. 3. dist. 8. Cap. 7. & a. c. fin. X. de consuet. Tabor loc. cit.

VI.

Effectus ejusmodi consuetudinis errore introductæ idem est, qui legis scriptæ Wefenb. paratit! Tit. ff. de LL. circa fin. Menoch. consil. 34. n. 8. ac adeo ad scientiam obligat & obseruantiam, l. 31. §. 20. ff. de Ædil. ed. et. l. 6. ff. de Eviçt. l. 33. de LL. l. ult. C. qua sit long. consuet. l. 32. §. 6. ff. de administr. & peric. Tut. nam consuetudo eadem ratione, quæ jus scriptum, est species

species Juris Civilis, §. 9. Inst. de J. N. G. & C. & l. 32. ff. de LL.
 Hinc etiam est, quod, sicut lex posterior expressa, priori tam
 expressa, quam tacita, derogat, L. fin. ff. de const. Princ. Lau-
 terb. Comp. Jur. præf. p. m. 3. ita & posterior consuetudo legem
 priorem expressam vincat, l. 32. in fin. ff. de LL. §. 11. in fin.
 Inst. de J. N. G. & C. Cap. fin. X. de consuet. Mev. p. 7. Dec. 150.
 num. 1. Exempli loco nobis inserviat inveterata alicubi con-
 suetudo, vi cuius liberi posterioris conjugii in bonis occasio-
 ne matrimonii prioris à Parente quæstis simul succedunt.
 Hunc morem utique per errorem invalidisse evidens est, cum
 expressa constitutioni sit adversus, quæ habetur in l. 3. & 5. C.
 de secund. Nupt. nec expressa lege statutariâ fuit mutata. Haud
 obstat vero l. 2. C. quæ sit long. consuet. utpote quam de irratio-
 nabilis seu legi divinæ contrariâ consuetudine loqui, quam nullius
 momenti esse diximus, quidam autumant, vid. Locam. not.
 ad §. 11. Inst. de J. N. G. & C. quamvis sententia Hoppii Com-
 ment. ad §. 9. Inst. de J. N. Gent. & Civ. potior nobis videatur,
 (adeoque male Hubero prælect. add. Tit. Inst. §. 12. rejiciatur,)
 quâ dicitur, consuetudinem tollere legem priorum, non qua-
 tenus est consuetudo, (cum ea hac ratione ejusdem cum lege
 sit potestatis, l. 32. ff. de LL. adeoque legem non vincat jux-
 ta d. l. 2. C. quæ sit long. consuet.) sed quatenus est posterior le-
 ge, d. l. fin. ff. de Consit. Princ. Licet etiam nonnulli sint, qui
 statuta jusque certum & liquidum, per contrariam consuetu-
 dinem, & forte speciatim per stylum Curiæ non abrogari
 censem, si advocatorum partiumque litigantium mutuâ indul-
 gentiâ, aut errore jurisq; ignorantia sit receptus; adeò, ut sem-
 per hoc in casu leges in contraditorio possint urgeri; quomo-
 do sentit Huber. Prælect. ad ff. Tit. de LL. §. ult. conf. Schil-
 ter. ad ff. Exerc. 2. §. 21. ubi opinatur, quando mos ex
 diametro pugnat cum lege scriptâ aut cum ratione ejus,
 tunc eum nullâ via possit approbari, præterquam judicia-
 li auctoritate; add. etiam §. fin. Inst. de Except. ibi: conque-
 scere

scere sancimus, Carpzov. p. 2. dec. 10. Movi. part. 3. dec. 60.
 n. 3. ex quibus auctoritatis constare videtur, solam non- ob-
 servantiam non tollere legem, sed ejus abrogationem de-
 bere accedere: Huic tamen Sententiae assentiri eo casu non
 possumus, quo actus legi scriptae contrarii, sive conjuncti cum
 præjudicio agentium, & quidem talium, qui iura intelligunt;
 ut adeo actus isti non suscepisti fuissent, nisi agentes, errone-
 am licet, opinionem fovissent, quod necessario à Jure scri-
 pto in iis actibus patrandis abeundum sit, seu quod obligatio
 stringat ad ejusmodi actus suscipiendos: Quam erroneous
 agentium opinionem dum Imperans, Juris scripti pariter
 non ignarus, vigere permittit, consentit is utique tacite in
 mores Juri scripto contrarios, eosq; instar legis obligantis
 postea valituros, quoniam NB. Subditi ipsos illos mores
 non tanquam actus mere facultatis, aut animo renunciandi
 Juri, ex lege scripta iis competenti, sed tanquam actus ex ob-
 ligatione suscepitos, ceu suppositum, observarunt; quali enim
 intentione & ratione actus consuetudini originem dantes à
 Civibus expedientur, talem intentionem & rationem Impe-
 rans tacito consensu approbat, (qui enim facit, nihil circa
 actuum qualitatem, quos ita facendo probat, immutat,) quan-
 do consuetudinis vires per istum consensum tacitum accipi-
 ent. Hæc sicut ad exemplum præmissum consuetudinis,
legibus 3. & 5. C. de Secund. Nupt. contrariantis, evidenter qua-
 drant; partes enim Jurumperitæ, aut Jurisperitorum copiam
 habentes, imo saepè cum horum consilio familiam hercifcen-
 tes, in præjudicium suum istarum Legum Civilium dispositio-
 nes haud deseruissent, nisi ad id faciendum se obligatas cre-
 didissent: Ita omnino aliter res se habet, quando privati
 scripta lege non utuntur, actusve à Jure scripto abeuntes sus-
 cipiunt, tanquam actus mere facultatis, aut animo juri in
 lege pro ipsis introducto, & quidem, quod fieri solum po-
 test, tantum pro se, non pro aliis renunciandi; (qualis intentio

de partibus in dubio etiam præsumenda,) quibus adeo casibus etiam isti actus tacito Imperantis consensu vim consuetudinis sub alia qualitate nancisci non valent, quam sub qualitate actuum meræ facultatis & renunciationum tertii non præjudicantum. Et de his posterioris commatis actibus sententia & rationes Doctorum dissentientium procedunt.

VII.

Opiniones erroneæ, quæ sæpe in JCtorum, ac eorum, quibus ferendi leges potestas est, cerebro nascuntur, ad legem condendam, tanquam rationes, non raro ansam præbent. Dico: ad legem condendam; quamvis enim ex vanis & nullius propterea momenti rationibus lex forte proficitur; lex tamen occasione rationis ejusmodi vanæ lata, est servanda; minimèque legi hac ratione semel conditæ, sed rationi tantummodo futili contradicere nobis licitum est, cum lex proprie sic dicta non sit ratio, quâ illa niritur, sed lex vere audiatur dispositio voluntatis Imperantis de actionibus subditorum, iis jus tribuens, vel obligationem imponens. Quare nec legibus Romanis occasione ejusmodi rationis erroneæ latissim contrariatur, earumve observantiam, de quâ ex superiori à nobis propositis judicandum, in dubium vocat, qui rationes illarum varias impugnat; quin potius nimio in leges Romanas amori & studio ævi præsentis nihilominus cedere possumus, licet non assentiamur lapsibus JCtorum aut Legislatorum veterum, iisque extra legis dispositionem, & forte tantum in causâ ad eam movente, deprehendendis. Nam & illi hominum, quos non nisi impie ab omni labore immunes assertas, in classem veniunt; cur ergo iis sententiae cum veritate nihil commercii habentes excidere aliquando non potuerint? quomodo fere differit Excell. Dn. PRÆSES in programm. Specim. Compend. Jur. annexo p. 138. Quæ etiam ratio est, quod ab epunctionibus generalibus, itemque à definitiōnibus

nibus rerum vel negotiorum à Justiniano ac Jurisconsultis Romanis ad nos transmissis dissentire, lege tamen Civilis propriæ sic dictâ non impugnatâ, integrum cuvis sanâ mente prædicto sit, conf. iterum Excell. Dn. PRÆS. Spec. Comp. Jur. p. 4. Tria jam rationum, quibus leges nituntur, erronearum exempla attulisse sufficiat. Neminem fugit, inanem prorsus & erroneam esse rationem, quam Pontifex luggerit, quando matrimonium ad quartum usque gradum inter consanguineos atque affines interdit, vid. cap. 8. X. de consangu. & affin. scilicet, quia quatuor sint humores in corpore humano, qui constent ex quatuor elementis. Quis tamen negabit, legem hanc, quamvis ob rationem erroneam latam, inter Pontificios, imo inter Protestantes illos, qui Jus Canonicum in materiâ prohibitionis graduum simpliciter agnoscere cunguntur, sancte observandam? Non majoris sane momenti ratio est, vi cuius bonam fidem in præscriptionibus omni tempore Jus Can. requirit, quando dictum Paulinum: omne, quod non est ex fide, peccatum est, urgetur in Cap. fin. X. de præscript. Ita etiam in §. 3. Inst. de Nupt. fratrîs vel sororis Neptem ducere prohibemur, quamvis quarto gradu sint; annexa hac ratione: cuius enim filiam Uxorem ducere non licet, ejus neque Neptem permittitur; quam rationem tamen de Jure Civili non minus, ac de Jure Canonico divinoque universali, in omnibus aliis exemplis linea collateralis, ubi parentalis respectus cessat, neutriquam procedere, quis ambigat?

VIII.

Aliquando tamen errore detecto legem ex eo profectam cessare, si nempe error juri Divino, & forte speciatim saluti publicæ, (hanc enim præcipit lex naturalis, species juris Divini,) adversari deprehendatur, supra jam monuimus. Exemplo esse possunt causæ matrimoniales, quæ olim ex opinione erroneâ, quod sunt causæ spirituales, à fori secularis cognitione fuerunt exemptæ. Hunc errorem postquam

C 2

Evan-

Evangelici potestati Principum, adeoque saluti publicæ ac legibus divinis, adversum esse deprehendissent, necessem etiam erat, secularia forâ, vel saltem seculares Personas ad cognitionem causarum matrimonialium admittere. Unde recte Mev. p. 2. dec. 365. In causis matrimonialibus ad Tribunal Regium Vismariense appellari defendit, inter alia n. 26. in hac crumpens verba: postquam causa veteris exemptionis à Camerâ, inter Evangelicos sublata est, opinio nempe, esse illas causas spirituales, deficit ratio olim exclusiva, nec superest magis, cur exemplo ab appellatione statuatur, quam ut vetus error recipiatur ubi etiam additur in Notis, errorem jus quidem facere, at quamdiu communiter erratur, (adderem, ad eum effectum, ut error, juri Divino speciatimque saluti publicæ adversus, jus interim tolerabile faciat; aliis enim erroribus detectis, jura ex iis promanantia, & diurno usu comprobata, nihilominus recte servari atque in vigore prius relinqui posse, ex superioribus patet,) sed quomodo edetected errare velle improbum, ita cognitus injuriam facit.

SECTIO III.

Generatim explicans, quomodo error juris facti, in actibus privatorum liberâ voluntate susceptis, aut in sententiâ Judicis, se exerens, ratione errantium jus producat, sive errantibus obligationem imponi, aut jus acquiri faciat.

Posquam legem ex errore natam considerationi nostræ subjecimus, jam dispiciendum venit, quomodo error Juri & obligationi privatorum aut Judicis ansam præbeat occasione actuum liberâ illorum voluntate suscepitorum, aut sententiae ab hoc promulgatae. Hic quasi fundamenti loco supponenda sunt, quæ à Doctoribus ad Tit. ff. & Cod. Jur.

Jur. & fact. ignor. annotantur, & isto quidem Juris Naturalis nituntur principio, quod errantibus non noceat error, qui pro invincibili aut involuntario, vel simpliciter, vel pro conditione aut totius generis humani, aut status, in quo aliquis citra suam culpam est constitutus, haberi meretur, hoc est, quem aliquis nullâ culpâ menti sui irrepere passus est, aut aluit; contra vero noceat errantibus error vincibilis aut voluntarius, seu ad quem excitandum aut nutrientum aliquis culpâ suâ concurrit. Generalia hæc ad specialiora transferuntur à juribus Civilibus, quando explicant, an & quousque de errore aliquo prædicari queat aut nequeat, quod citra culpam errantis ortus aut non depositus fuerit. Nimirum regulariter error facti errantibus prodest aut jus facit, L. 4. L. 8. ff. L. 7. C. de Jur. & fact. ignor. cum facta juxta Neratii effatum in L. 2. ff. eod. tit. sint infinita, & prudentissimos quosque fallere possint. Attamen etiam non paucis in casibus Juris errorem prodest verum est, arg. L. 7. 8. & 9. ff. de Jur. & fact. ignor. Error tamen sive Juris, sive facti, justus sit oportet, si errantibus prodest dicendus est, arg. L. 6. ff. eod. nam quamvis scrupulosa inquisitio non exigenda veniat, nec crassa tamen aut supina ignorantia est ferenda, d. L. 6. & in affectata ignorantia lata versatur culpa, Bart. ad L. 32. §. 2. L. 7. depos. quæ sicut ad fraudem & dolum proprie accedit, L. 29. pr. mandat. L. 7. §. 1. ff. de Suspect. Tit. ira Jura eidem nunquam patrocinantur, L. 12. ff. de dol. mal. Sufficere autem ad justum errorem facti, solam bonam fidem, seu eundem non esse affectatum, arg. d. L. 6. ff. de Jur. & fact. ignor. ad invincibilem vero Juris errorem requiri, ut circa Jus dubium, intricatum sive varie intelligibile occurrat, jam superius monitum est.

II. 12. add. 1901045 1203. 33

Hæc partim applicantes, partim latius deducentes Icti, docent, errorem facti primo prodest, quando circa factum alienum committitur, L. fin. §. 1. ff. pro suo, L. 7. ff. de acqu. vel
C 3. omitt.

omitt. hered. Imo talis error circa factum alienum, si scilicet non sit notorium, præsumptionem Juris pro se habet, L. 21. ff. de probat. quæ tamen præsumptio Juris non simul est de Jure, quia probationem in contrarium ab adversâ parte admittit, arg. d. L. fin. §. i. profao, Brunnem. ad L. 2. ff. de Jur. & fact. ignor. Exemplum, quod brevitatis amore raseo, legere est in L. 1. §. i. ff. eod. Contra error circa factum proprium regulariter nocet, cum communiter valde sit supinus & vincibilis; unde idem regulariter prætendi nequit, L. 7. ff. ad SCtum Vellej. nec per consequens præsumitur, quin potius proprium factum ignorans, pro sciente reputatur, arg. L. 13. ff. de adim. vel transf. leg. L. 12. C. de contrab. stip. non autem scienti, sed ignorantis succurritur, arg. L. 12. ff. de novat.

III.

Deinde tamen etiam error circa factum proprium contingens, quoniam memoria potissimum circa tale factum, tanquam circa objectum, versatur, quibusdam in casibus propter hujus animi facultatis imbecillitatem prodest; non tamen aliter, nisi ab allegante probetur, Struv. S.J.C. Exerc. 28. th. 61. Zoel. ad ff. Tit. de Jur. & fact. ignor. n. ult. Gail. 2. Obf. 47. Brunnem. ad L. 3. ff. de Jur. & fact. ignor. Si enim sola bona fides justum errorem facti efficit, quod jam binâ inculcavimus vice; utique justus error quoque omnibus in casibus, ubi doceri potest, adeoque etiam tunc, quando circa factum proprium obrepisse demonstrari valet, prodest debet. Probatio tamen erroris hujus, factum proprium pro objecto habentis, non admittitur, nisi ille probabiliter in antecedsum appareat, maximè scilicet propter memoriarum imbecillitatem; id, quod fieri potissimum potest, (1.) Si factum proprium maxime sit antiquum, quippe ex diurnitate temporis oblivio bene, & per ac propter hanc, error præsumi potest, Petr. Müll. in Not. ad Struv. S.J.C. Exerc. 28. th. 60. Huic casui æquiparatur Casus, si Perlona ætate confecta errorem circa factum proprium

proprium commiserit, id. ibid. nam Senectus nimia imbecillitatem memoriae ut plurimum inducit: (2.) Si factum proprium per quam sit intricatum, Brunnem. ad L. 3. ff. de Jur. & fact. ignor. Unde facilis error calculi, si reddantur rationes, arg. L. 47. §. 1. ff. de pact. L. 7. ff. de confess. Gail. 2. Observ. 48. de quo adeo Calculi errore Imperatores in leg. un. Cod. de errore calculi constituere, ipsum veritati non afferre præjudicium, & rationes etiam sæpe computatas denuo fieri posse, conf. Doctores ad d. leg. & Mev. p. 4. dec. 300. ubi nec rem judicatam, nec transactionem, impedire exceptionem erroris calculi docet, nisi super ipso calculo judicatum aut transactum fuerit: (3.) Si persona errans circa factum proprium, magna negotiorum mole obruta fuerit; hujus enim commatis hominibus gestorum oblitio facilissime obrepere potest, Zang. de Except. p. 3. c. 2. n. 47. & divinitatis potius, quam mortalitatis est, omnium rerum habere memoriam, & penitus in nullo peccare, l. 2. §. 14. C. de vet. jur. encl. hinc de Judice, & eo, qui gravi constitutus in officio est, oblitio facti proprii præsumitur, Bart. in l. 21. ff. de rejud. (4.) Si factum ab aliquo per Procuratorem aut filium sit perpetratum, licet alias, quod quis per alium fecit, ipse fecisse putandus sit, arg. l. 20. §. fin. ff. de A.R. D.L. 11. §. 6. de pign. act. (5.) denique morientibus error etiam circa factum proprium commissus non nocet, quoniam humana fragilitas mortis cogitatione perturbata, plures res consequi haud potest, l. 8. C. qui testam. fac. poss. Exemplum vides in l. 57. ff. de leg. 1.

IV.

Verum enim vero error circa facta propria nec recensit in casibus errantibus prodest, si (1.) facta sint notoria, quoniam eorum ignorantia præsupponi haud potest, Petr. Müll. in Not. ad Struv. S. I. C. Exerc. 28. lib. 60. (2.) Si contineant obligationem erga alterum, l. 12. C. de contrab. vel comitt. stip. aut juramento sint confirmata, Mascard. de probat. Vol. 2. consil.

fil. 879. n. 41. & 42. Item si facta (3.) lucrum captandum, & non damnum vitandum concernant, *id. d. l. n. 47.* Cum ex adverso justus circa factum alienum occurrentis error, non solum agentibus de damno vitando, (unde tempus appellandi vel in integrum restitutionem petendi, contra ignorantem, sententiam adversus se esse latam, haud currete novimus, *l. 1. §. ult. ff. quond. appell.*) sed & noviter acquirentibus, sicque in lucro captando versantibus, non noceat, *l. 8. ff. de Jur. & fact. ignor.* quod videre est in usucaptionibus, Struv. S. J. C. Exerc. 28. th. 58, ibique Petr. Müll. *in not.*

V.

Sicut autem, qui ex justo facti alieni aut proprii errore indebitum solvit, illud conditione repetere non impeditur, *L. 9. §. ult. ff. l. 6. C. de Jur. & fact. ignor. l. 22. pr. l. 32. pr. de condit. indeb.* ita, quod jam ad juris errorem attinet, majore res difficultate laborat. Regulariter erranti hic non prodest, *l. 10. ff. de bon. poss. l. 4. ff. l. 2. 12. C. de Jur. & fact. ign. l. 11. §. 4. ff. de his, qui not. infam.* Siquidem jura finita sunt, *l. 2. ff. eod. tit.* & à Jurisperitis quovis tempore peti possunt, *l. 10. ff. de bon. poss. l. 2. §. 2. quis ord. in bon. poss.* nec conditionis melioris stulti, ac Jurisperiti, haberi debent, *l. 4. ff. quod vñ aut clam.* Id vero intelligendum de errore juris affectato ac injusto, non vero de justo, circave jus maxime intricatum suborto; nam quoniam ejusmodi error juris, facti ignorantiae æquipollit, is semper etiam excusat, arg. *l. 32. ad L. Aquil.* dum pari ratione constantissimos quosque Jurisque peritissimos fallere valet, *Confil. Tübinger. 30. n. 48.* Injustus autem Juris error, tanquam oppositus justo, sequentem in modum definiendus est, quod sit, qui non circa jus dubium vel intricatum, verum circa jus evidensclareque determinatum committitur; in hoc enim qui errant, in latâ versari culpâ dicuntur, *l. 213. §. 2. ff. de Verb. Sign. & l. 223. ff. eod.* V. g. si quis forte erroneè putet, beneficium legis *z. C. de R. E. V. ob enor-*

enormem ləsionem concessum non esse, & adeo enormiter
ləsus actionem ad rescindendam E. V. intra legitimū tem-
pus non instituat; hic elapsō pr̄scriptiōnis termino amplius
non auditur, arg. l. 3. & l. 4. C. de pr̄script. 30. vel 40. annor.

VI.

Ergo error Juris, sive circa jus positivum humanum, si-
ve circa divinum, ac in primis naturale, commissus sit, nocet;
& id quidem regulariter contingit, si erratum fuerit circa jus
humanum, semper vero idem dicendum, si circa jus divi-
num erretur. Dixi: de errore juris humani, quod regulariter
noccat, §. 11. Inst. de J. N. G. & C. Carpz. p. 3. C. 15. def. 42. n. 11.
id enim intelligendum de Personis noviter acquirere volen-
tibus, l. 7. 8. 9. §. 3. ff. & l. 3. 8. C. de Jur. & fact. ignor. l. 31. de
Usucap. hocque eo etiam extendendum, ut ne fœminis qui-
dem, licet alias propter sexum privilegiatis, prosit, d. l. 8.
ff. de Jur. & fact. ign. l. 6. C. qui admitt. ad bonor. posſ. Non
nocet autem Juris humani error suum petentibus, l. 7. ff. de
Jur. & fact. ignor. arg. l. 35 ff. de A.R. D. ubi quidem suum pete-
re dicuntur, penes quos, possessione rei saltē amissā, domi-
nium ejusdem rei integrum remansit, arg. d. L. 35. (unde hi
in damno rei sua amittendæ, non vero jam amissæ, versan-
tur, Schilt. ad ff. Exerc. 35. §. 30.) namque ad transferen-
dum dominium in alterum, potissimum consensus prioris do-
mini requiritur, nihil autem consensui magis contrarium
errore, l. 15. ff. de Jurisd. l. 116. §. 2 ff. de R. J. errantis enim
nulla voluntas est, l. 8. & 9. C. de Jur. & fact. ign. Suum peten-
tibus associandi, qui de damno rei sua amittendæ vitando agunt,
hisque error juris humani pariter non nocet, l. 8. in fin. ff. de
Jur. & fact. ign. Et hinc colligere licet, repetitionem dari
solventi indebitum ex errore etiam Juris, Brunnem. ad l. 7.
ff. eod. tit. Carpz. p. 3. Const. 15. def. 42. Frantz. ad Tit. ff. de con-
dict. indeb. n. 29. & seqq. ubi nulla subest naturalis obligatio, ju-
re Civili agnita. Evidem Comp. Lauterbachio - Schütz.

D

Tit.

tit. ff. de condic. indeb. p. 204. cum plurima Neotericorum turba hancce conditionem in Jure errantibus simpliciter negat ; vid. inter alios Wissenb. *ad ff. disput. 43. num. 41.* Verum utique ex errore Juris indebito solvens in damno rei suæ amittendæ , & non amissæ , versatur ; nam non tempus conditionis , sed solutionis est inspiciendum , & solvens non eo tantum tempore , quo condicere indebitum animus ipsi est , in damno rei suæ amissæ , sed in ipso etiam solutionis momento in damno rei suæ amittenda versatur , Brunnen. d.l. Id quod etiam legi 9. §. 5. ff. de Jur. & fact. ignor. magis est consentaneum. Militar insuper pro affirmantium Veterum opinione naturalis æquitas , quæ haud permittit , alterum cum alterius damno & iniuriâ fieri locupletiorem , l. 14 & 66. ff. de condic. indeb. l. 206. ff. de R. J. l. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publ. l. 6. in fin. de Jur. dot.

VII.

Imo nec quibusdam de lucro captando agentibus error Juris nocet , quales sunt minores xxv. annis , l. 9. pr. ff. & l. 11. C. de Jur. & fact. ign. nam hi propter consilii fragilitatem , & quod captionibus multis sint obnoxii , ex speciali legis dispositione ignorare leges præsumuntur , l. 1. pr. ff. de min. & l. 10. ff. de Jur. & fact. ign. Exceptio est , nisi minor sit Juris Doctor , qui artem callere suam intelligitur , arg. l. 2. §. 43. ff. de orig. Jur. & l. 30. C. de transact. Alias in genere minoribus error juris , & quidem etiam tunc non nocet , quando juramento actum ex errore Juris susceptum confirmaverunt , Petr. Müll. Not. ad Struv. S. J. C. Exerc. 28. th. 56. quoniam juramentum actum per se nullum , qualis omnis est , qui contra leges exercetur , l. 5. C. de LL. minime sanat ; Sequitur enim juramentum , ceu accessorium , principale suum , naturam scil. actus , cui accedit , l. ult. C. de non num. pecun. qui adeo actus si legibus sit prohibitus , & per consequens nullus , etiam juramentum , quod ei accesserat , nullum est. Nec obstat Cap. 28. X. de

27.

de Jurejur. ubi dicitur, quod juramentum, quod citra salutis dispendium servari possit, servandum veniat; nam hæc Canonum regula procedit in casibus, quibus Jusjurandum accedit actibus lege Civili non prohibitis, nec in ea declaratis pro nullis. Quid? quod minores hic spectemus errantes, nec a deo illi juri pro ipsis lege introducto juramento scienter renunciâsse dici possint.

VIII.

Non defunt, qui propter sexus imbecillitatem, foeminis quoque, in acquisitione & in lucro versantibus, errorem Juris non nocere statuunt, arg. L. 15. §. 5. ff. ad L. Cornel. de Fals. & l. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpell. Ast casus in legibus contenti exceptiones potius à Regulâ suppeditant, quam constituant regulam; & in careris adeo casibus omnibus error Juris etiam foeminis non nisi de damno vitando agentibus prodest, L. 8. ff. l. 12. & 13. C. de Jur. & fact. ign. l. 2. §. 7. de Jur. Fisc. Constat præterea, errorem Juris prodeste acquirere voluntibus illis, qui iurium imperiti sunt, & JCTi copiam nancisci nequeunt, itemque militibus, l. 9. §. 1. ff. de Jur. & fact. ign. (qui arma potius, quam jura noſte creduntur, l. 22. pr. C. de jur. delib.) nec non Rusticis, l. 8. C. qui admitt. ad bon. poss. l. 3. §. 22. de S. C. Silanian. propter simplicitatem, quâ pollut, ingeniorum, l. 3. in fin. ff. de Jur. fisc. nisi ius illud, circa quod erratum, ita notorium sit, ut lippis, quod ajunt, & tonsoribus de eo constet, aut expressa lex ipsos rusticos speciatim feriat, (quibus in casibus etiam nec foemina, nec miles, ob errorem juris excusantur, Brunnem. ad l. 9. ff. de Jur. & fact. ign. n. 4.) aut error sit commissus in conventionibus, quæ Juris Gent. sunt, utpote de quo jure omnibus & singulis constare præsumuntur, & cujus adeo ignorantia nemini patrociniū præstat, Petr. Müller. Not. ad Struv. S. J. C. Exerc. 28. th. 56.

D 2

IX. Ex

Ex his ergo omnibus patet, quod quilibet iura regulatiter scire possit & debeat, arg. l. 2. §. 43. de orig. Jur. & lapsō ob errorem Juris ex æquitate in damnis vitandis tantummodo subveniatur. Hinc facilime etiam colligetur, probationem erroris juris incumbere alleganti, Struv. S. J. C. Exerc. 28. th. 57. quæ probatio plerumque fit juramento, quoniam ignorantia & error in animo errantis consistit, Carpz. p. 1. C. 22. def. 6. n. 5. & aliunde ejus notitia haberi nequit.

SECTIO IV.

De:

*Specialibus materiis ac casibus, in quibus error
Juris & facti, mediantibus adiibus privatorum, iug. libera
eorum voluntate suscepis, aut mediante sententiā Judicis,
jus facit.*

II.

AD sp̄cialiora jam pergens, casus materiasque, de quibus rubrum modo pr̄missum loquitur, non evolvere non possum. Non tamen omnia, quæ in vasto Juris Oceano occurunt hic pertinentia, in medium afferre mihi sedet; id enim excrescens pr̄ter spem Dissertationis Corpus, una cum Angustia temporis, huic exercitio destinati, omnino prohibet: Sed sufficiet mihi exempla tot taliaque proponere, ex quot qualibusque usus generalium principiorum, (nempe eorum, quæ de juris & facti, vincibilique ac invincibili, sive justo & injusto errore, in Sectione pr̄cedente dicta, nec non de errore efficace atque concomitante in Sect. I. §. 3. breviter monita fuere,) clarum ac evidentem reddere se poterit. Quod enim generatim hic pr̄mittendum, ad iura erroris Juris & facti, vincibilis ac invincibilis, sive

§ 29.

sive justi ac injusti, nec non efficacis & concomitantis, tam
quam ad fundamenta, omnia huc differenda se referunt.

II.

Error jus facit, seu ad jus ac obligationem agentibus at-
tribuendum aut imponendam occasionem præbet tam in ju-
dicialibus, quam extrajudicialibus actibus. Illos quod atti-
net, jus producere errorem novimus eā ratione, quod non
agnoscere teneantur litigantes pro valido, quod actum in
judicio est, si erratum sit in Personā Judicis, ita, ut Jūdex
non competens fuerit aditus; neque enim prorogatio urge-
ri hīc potest, utpote quæ nulla est, l. 15. ff. de Jurisd. l. 2. ff. de
Jūd. nisi partes litigantes, &c; non prohibitæ, (quales inter per-
sonas prohibitas referendi sunt Clerici, qui Jurisdictionem suo
consensu sine consensu Episcopi Dicecesani prorogare prohi-
bentur, c. 18. X. de for. compet.) consenserint, l. 1. ff. de Jūd. consen-
sui vero, ut dictum, nihil magis contrarium, quam error, nec
consensisse, qui errant, dici possunt, l. 116. §. 2. ff. de R. J. Obstatre
equidem videtur famosā l. Barbarius Philippus. 3. ff. de Off. Prætor.
in quā dicitur, quod valuerint actus judiciales servi fugitiivi,
qui Romæ ex ignorantia populi, quod in statu fuerit servili,
Prætor erat creatus, licet alias servi per l. 32. ff. de R. J. pro-
nullis habeantur, neque adeo de Jure Romano officiis pu-
blicis fungi potuerint. Verum hoc in casu error equidem cir-
ca habilitatem statumque servilem Personæ jus dicentis sive
Prætoris occurrit, ast non tantum partibus litigantibus ille
adscribendus, sed simul communis fuit totius populi,
ejusque potestate, eum tum manumittendi, tum ipsi, ut
servo, certa ratione (quæ mox explicabitur,) decernendi
Prætoris potestatem, gaudentis. Ergo ratione litigantium,
qui adierunt servum Barbarium Philippum, tanquam Præto-
rem, Error justus fuit, isque factum alienum, nempe popu-
li Romani, respiciens. Sed qui negabit, è contrario d. l. 15.
ff. de Jurisd. de errore non justo sive vincibili loqui? qualis fe-
re

re semper erit, si error circa Judicem incompetentem pro competente aditum committatur, nec error litigantium fundetur communis totius alicujus populi errore. Accedit hoc in casu, quod modo innuimus, populum Romanum, qui ex errore Barbarum Philippum constituerat Prætorem, etiam potuisse vi jurium Majestaticorum, servo litigioso, seu de cuius statu inter ipsum & Dominum disceptabatur, decernere hanc potestatem, salvo jure Domini, si pareret, ejus esse servum, ad hoc saltē, ut acta gestaque coram ipso, valida forent, Schilt. Exerc. 5. ad ff. §. 10. Imo, si scisset populus certo, servum esse fugitivum nemine persequente, adeoque pro derelicto habitum, sine dubio Prætorem eum creando liberum ipsum efficeret, cum qui magis velit, (nempe Prætorem esse hanc Personam,) etiam minus velle præsumatur, (nempe eam simul esse liberam,) aut qui totum, partem quoque; quæ verba iterum sunt Schilt. d. l. Ex quibus autem etiam liquidum est, errorem hunc circa Barbarum Philippum à populo commissum, non fuisse efficacem, sed concomitantem. Consideranda etiam apud Romanos hoc in casu erat utilitatis ratio, quod scilicet humanius, æquius, ac bono publico utilius fuerit, ut ne lites coram Barbario Philippo sotiaz resuscitarentur, in primis cum justo, ut dictum, errore detectæ fuerint partes litigantes, quæ hunc Prætorem adiebunt: hec vero rario iusti erroris, & litium plurium, ut sotiarum, ita secundum jus & æquum non resuscitandarum, iterum in casu legis 15. ff. de Juriād. (ubi alius pro alio Prætor vel in una tantum causa ex vincibili facile errore aditus,) omnino cefsat. Secundum hæc accipienda, quæ Doctores ad hanc legem Barbarius. 3. de Off. Prætor. tradunt de errore communis jus faciente, quamquam male id ex textu isto deduci putaverit Hahn. ad Wesenb. d. tit. de Off. Prætor. Hoc utique verum, communem populi hic adsuisse errorem; verum non aliter ad rem fecit, quam quod errorem litigantium, & quidem

quidem plurimorum, reddiderit justum, ac apud eos causatus
 fuerit bonam fidem, seu, ut Zosius in Comment. ff. ad hunc
 leg. 3. ff. de Offic. Prator. n. 11. & 12. loquitur, titulum putati-
 vum. Quare, si vel contingat, communī errore non obstan-
 te, errorem ratione litigantium, forte ob circumstantias ipsis
 solis cognitas, esse injustum, istumque communem errorem
 esse efficacem; vel etiam error citra communem errorem in
 eorum animis natus, pro justo veniat reputandus; tunc sane
 iisdem litigantibus illo casu nihil proderit præsentia, hoc ca-
 su nihil nocebit absentia communis erroris. Hinc etiam pa-
 ri modo ad jura erroris justi ac injusti omnia redeunt, quæ
 habentur in disponente in contrarium prorsus sensum Cap-
 itulo. 24. X. de sent. & re jud. ubi sententia à pluribus lata
 ideo irrita declaratur, quoniam unus ex dicentibus eam publice
 fuerat excommunicatus; Unde Glossa tum infert, quod occulta
 ejus excommunicatio sententia minime fuisse obscura, tum
 addit, occulte excommunicatum Jurisdictionem tam diu re-
 tinere, quam diu toleretur ab Ecclesiâ, Id. Zoef. d. l. n. 14.
 Conf. etiam l. 1. C. de Testam. & g. 7. Inst. de Testam. ord. ubi
 habetur, quod testamentum, cui servus, pro libero homine
 habitus, testis fuerat adhibitus, nihilo minus firraum habe-
 tur, additâratione, quoniam eo tempore, quo testamentum
 signabatur, omnium consensi servus liberi loco fuerit repu-
 tatus. Ex quibus textibus Doctores quidem colligunt, in
 hoc casu non sufficere, servum ex testatoris testiumque reli-
 quorum mente pro idoneo teste fuisse habitum; verum
 omnium, h. est communī errore, ad reborandum testamen-
 tum & stabiliendum opus esse dicit Majer. ad Inst. d. g. 7. de
 Test. ord. Verum etiam talia regulariter quidem procedunt,
 (cum regulariter justus error apud singulos non nascatur cir-
 ea tales de statibus hominum quæstiones, nisi pariter com-
 munis sit,) non tamen semper. Quid? quod ultra locum,
 ubi ex errore aliquid agitur, extendendum etiam negent
 requi-

requisitum communis erroris, ut ex arg. s̄epe allegatæ l. 3,
ff. de Off. Præt. docet Zof. n. 12.

III.

Error circa litigantes commissus, jus etiam interdum producit. Si v. g. Personæ, quibus in judicio standi licentia non est, vid. l. 1. ff. de postul. ex Juris errore in eo compa- ruerint, omnia ibi gesta ipso jure nulla sunt, Comp. Lauterb. Schütz. ad Tit. ff. de appell. p. m. 728. circa fin. quoniam igno- rantia ejusmodi supina non excusat, arg. l. 6. ff. de Jur. & fact. ignor. Idque non tantum in persona principali, sed & in delegata, nimurum in procuratore, partium vices susti- nente, obtinebit, si scilicet habilitare standi in judicio non gaudens, l. 30. C. locat. l. 6. C. de Procurat. C. 5. de Procur. in cito, in eodem ex Juris errore se stiterit. Cui illud adden- dum, quod allegatio ejusmodi Juris erroris, ceu nimis supini, non audiatur, sed adversæ parti statim acquiratur jus non agnoscendi ea, quæ facta in judicio sunt; quippe facta ejusmodi inhabilis Procuratoris, nec Domino præjudicare possunt, sed ipso jure nulla censemur, l. 27. ff. l. 24. C. de Procur. utut cautionem de rato promittat, arg. l. 40. §. 4. ff. & l. 1. C. de Procur. cum quâ alias quis admittitur, si man- dato Domini, saltem præsumto, non sit instructus, l. 35. pr. l. 40. §. f. ff. eod.

IV.

Sententia Judicis jus facit inter partes, sive illis instar legis observanda venit, l. 25. ff. de stat. hom. C. 13. circa fin. X. de re jud. etiamsi inique, per errorem, aut ambitione decre- tum fuerit, l. penult. ff. de J. & f. l. 65. §. 2. ff. ad SCt. Trebell. Maurit. dissert. de Jure intervent. §. 14. in Opusc. & dissertt. p. 445. ubi etiam docet, quomodo sententia non modo inter ipsos litigantes, sed etiam inter eos, qui illorum vices subeunt, atque pro eadem Personâ cum iis reputantur, vid. l. 4. l. 11. §. 7. & 8. ff. de Except. rei jud. immo inter alios quoque nomi-

nominatim & expresse sententia non comprehensos, jus faciat. His tamen non obstantibus, etiam partibus litigantibus error Judicis sententiam pronuncianantis facit, jus, eam vel impugnandi, tanquam nullam, vel media appellatio à viribus rei judicatae suspendendi. Id nempe licitum est partibus, si Judge errorem circa formalia processus, aut merita causæ, in pronunciando commiserit, l. 4. C. de sent. & interloc. Circa illa errare potest, v. gr. si reum legitime in jus vocari non curaverit, ac nullā factā litis contestatione, aut exactā in causam inquisitione intermissā, sententiam dixerit, l. 1. C. de Execut. rei jud. l. 9. C. de Jud. Non vero prodest partibus, sententiamve Judicis invalidam reddit error commissus culpā scribentis sententiam; quippe tunc errorem non in sententiā ipsā & in intentione Judicis, verum in litera ac scripturā tantum, qua veritatem non mutet, latere Mevius p. 7. d. 304. ait, defectus autem literæ, ubi de veritate alias constat, nunquam actum mutat, Id. ibid. Aliud esset, si error in descriptione sententiæ interveniens ejus totum perverteret sensum, & talis foret, quem invincibilem vocant, quive deprehendi non potest, arg. l. 6. ff. de Jur. & fact. ign. Citra hunc casum, ac quoties error scribentis sententiam detegi potest, ille, qui voluntarie mentem verborum scripturæ depravatæ, & non, quod veritas exigit, sequitur, à contumaciā non liberatur, arg. l. 7. C. de Testam. Mev. p. 7. dec. 304. n. 4. dolo enim fecisse putandus, dum errasse dici haud potest, qui scienter errorem sequitur, quippe justus error, quem supra definitivimus, & qui crassio illi seu supino opponitur, arg. l. sapient. citat. 6. ff. de Jur. & fact. ign. omnem excludit scientiam.

V.

Errorum circa merita causæ à Judge commissum ut exemplo illustremus, provocamus ad l. 23. C. de loc. conduct. Nam constat ex l. 25. eod quod regulariter nemo rem conductam post

E

termini-

terminum locationis finitum, quæstione dominii relata, retinere possit, sed restitutæ prius possessione, postea de proprietate litigare demum debeat. Contrarium vel obvium est legem 23. C. obtinet, si quis rei propriam per errorem antea se conduxisse ex postfacto cognoverit, siquidem rei propriæ nulla conductio est, l. 45 ff. de R.J. Cessante itaque tum contractu locationis conductio, cessat etiam necessaria alias ex eo proveniens restitutio rei conductæ, Mev. p. 2. dec. 203. Quod si itaque Judex hac in causa juxta regulam de restitutione rei conductæ in iuribus reperiundam, ignorans limitationem de re propriâ conductâ, pronunciaverit; non obligabit partes hæc sententia, quippe quæ legibus conformis esse debet, sique contra ius constitutionis feratur, ipso jure nulla est, l. 1. §. 2. quæ sent. sine appell. l. 2. C. quand. provoc. non est necess.

VI.

Error Judicis, hac ratione sententiam ab ipso pronunciatam afficiens, id jus Judicii ipsi facit, ut item faciat suam; quo spectat pr. Inst. de Obligat. quæ quasi ex delict. nasc. ubi imprudentia, per quam peccâsse tunc intelligitur Judex, ipsum illum errorem, eumque crassum ac supinum, qui proprio animi ductu, non ex votis Assessorum necessario sequendis, in sententiam irreplcit, denotat; vid. Hopp. ad d. pr. Inst. Dicitur autem item suam facere, quæ quasi cogitare item, quam male terminavit, in se suscipere, & sic ex Judice fit reus, dum nimis rur ei, quem suâ sententiâ legit, de eo damno tanquam reus respondere, id ipsum eidem refarcire, cumq; indemnem servare tenetur; quæ etiam verba sunt modo laudat Hoppit d. l. Add. omnino Farinac. qu. 111. art. 16. num. 435. cum mult. seqq. ubi plene examinat, quando Judex per imperitiam male judicans, aut alio modo injustitiam faciens; teneatur civiliter, vel criminaliter, & conf. art. 15. n. 396. seqq. Jung. etiam Parid. de Puteo Tract. de Syndic. s. negligentia, hopp. s. 1. x. 1. f. 100.

VII. Er-

Error Advocatorum vel libellos seu preces concipientium nullum praeditum afferit veritati & principalium partium Juri, l. 2. C. de error. advoc. modo aut illa, in quibus Advocati errasse dicuntur, non prolatas fuerint presencibus & continentibus litium dominis, l. 1. & 3. Cod. eod. (alia enim in continenti, i.e. triduo proximo, contradici tantum possunt, d. l. 3. alias nocent litis Domino,) aut post sententiam tali errore nitem, quam primum ille cognoscitur, appellationis aut simile impugnacivum remedium adhibeat, arg. d. l. 3.; ante sententiam enim licet errorem corrigere, ut ex l. 4. ins. ff. de noxal. act. & s. 34. Inst. de Act. notat Gothofr. add. l. 3. Conf. omnino Glofs. Perez. Zosf. aliosque Ddres ad tot. tit. C. de Error. Advoc. add. Mev. p. 7. dec. 124. & p. 2. dec. 45. n. 9. nec non Martin. ad Ord. Process. Sax. Elec. Tit. 3. §. 2. n. 28. ubi docet, in utilitatem Clientis redundare, quicquid Procurator vel Advocatus recte dixit atque egit, contra incommode dictum aut factum dolo, si v. g. cum adversario collusum fuerit, Clienti nunquam nocere; si vero per errorem Juris aut facti (hic enim agi de re amittenda, ubi error Juris etiam non noceat,) ab Advocato aut Procuratore peccatum sit, errorem Clienti absenti non nocere, Clienti vero praesenti errorem dictarum Personarum nocere, sed tamen licere tum Advocato, tum Clienti, intra triduum eum revocare.

VIII. oratio s. romana altera hodiernum
Errorum in actibus extrajudicialibus jus partibus contrituere, probatum dabunt supra allegati textus, nempe l. 1. C. de Testam. & s. 7. Inst. de Testam. ord. unde constat, quod communis error circa Personam testis occupatus, exemplo servi testamenti facti tempore pro libero homine reputati, testamenti validitatem minime impediat; squidem testimoniabilitas non mortis, sed facti tantummodo testamenti tempore, (quo omnium consensu testis servus liberis loco fuerat habi-

habitus,) requiritur, arg. l. 18. ff. qui testam. fac. poss. publicæ
que saluti convenient, ut supra hominum judicia exitum ha-
beant, l. 5. ff. quemadmodum testam. aper. Errorem itaque hoc in
caſu heredibus scriptis firmissimum jus petendi hereditatem
in testamento ipſis delatam facere, certo certius est: testa-
mentum vero facientem, niſi actis illud insinuetur, arg. l. 18.
& 19. C. de Test. non judiciale, verum extrajudiciale actum
exercere, nemo ibit inficias; quippe quilibet natura non im-
peditus, arg. l. 7. ff. quia testam. fac. poss. ac lege non prohibitus,
l. 3. ff. eod. facere illud ubivis locorum potest; quoniam te-
ſtari res mera facultatis naturalis est, ad quam exercendam
quilibet regulariter ubique admittitur. Cæterum quod de
ſervo modo dictum, quod nimirum error circa ipsum tan-
quam testem commissus non noceat scriptis in testamento he-
redibus, id etiam de aliis Personis, quibus testimonium in te-
ſtamentis, secundum §. 6. Inst. de Testam. ord. interdicitur, ut
ſunt ob crimen repetundarum dannati, itemque mulieres,
§. 6. & l. 15. ff. eod. propter paritatem rationis erit statuendum,
ſi forte etiam tempore testamenti conditi pro habilibus ad
illud testimonium Personis reputentur, Hopp. ad d. §. 7. Inst.
de Testam. ordin.

IX.

In legatis error testatoris legatario non nocet, ſi forte
circa hujus nomen ab illo fuerit commiſſus, §. 29. Inst. de Leg.
modo tale nomen à testatore legatario fuerit imponitum, ex
quo poſſit cognosci, quis intelligatur, d. §. quamvis nomen
ita imponitum ne verum quidem nomen ſit, quoniam nomi-
na non ex singulorum opinione, verum ex communī uten-
tium uſu exaudiri debent, l. 7. §. ult. ff. de Suppl. leg. cæterum
frustanea & supervacante nomina ſunt, ſi alio quodam mo-
do personæ, quarum significantiarum cauſa tantum reperta
nomina, intelligantur, d. §. 29. Inst. de leg. & l. 6. inst. de reb.
erit. finem enim iam consecutis non opus amplius eſt me-
diis.

diis. Idem erit dicendum, si falsa & erronea demonstratio legato fuerit adjecta, §. 30. *Inst. de leg.* l. 17. l. 33. l. 40. §. penult. ff. de condit. & demonstr. quicquid enim rei jam satis demonstratæ accedit, frustraneum est, l. 1. §. 8. ff. de dot. *præleg.* Supervacua autem, & quæ abundant, non vitiare scripturas, notum potissimum ex l. 94. ff. de *R. J.* Aliud utique obtinet, si talis res sub falsâ demonstratione fuerit legata, qualis in rerum naturâ non est. V. g. si quis ita legaverit: decem, quæ in arcâ habeo, lego, ast quinque tantum habeat, ultra hæc quinque non valebit legatum, l. 108. §. 10. ff. de leg. I. non enim testator genus (nummos in genere) intellexit, dum sub falsâ demonstratione speciem (hos arcæ inclusos nummos) legavit; sed legavit ipsa corpora demonstrata, quæ adeo numeranda ventunt, l. 51. eod. & si nulla hæc sint, legatum quoque nullum crit, l. 1. §. 7. ff. de dot. *præleg.* Multo minus nocebit legatario erronea causa à testatore legato adjecta, §. 31. *Inst. de leg.* nam quæ sine ulla causâ ex mera liberalitate concedi possunt, cujusmodi & legata sunt, l. 72. §. 6. ff. de condit. & demonstr. illa etiam, falsâ causa adiectâ, non corrunt.

Error insuper in conventionibus jus producit, dum v. g. ad dirimenda sponsalia, tam Jure Civili, quam Canonico, interdum ansam præbet. Illud præsertim accidit, si circa Personam fuerit erratum, *Cap. 26. X. de Spons. Can. un. Caus. 29. quest. I. arg. §. 22. Inst. de inutil. stip.* nam Personam esse de matrimonio substantia dicitur, circa quam substantiam error commissus non permittit matrimonium contrahi, Hahn. ad Wesenb. *Tit. ff. de Rit. Nupt. n. 8.* Sic si quis morbo infanabili laborantem, loco carentis omni vitio, matrimonio sibi sociaverit, errore detecto matrimonium dissolvere, aut potius nullum declarare licet, Cypr. *de matr. C. II. n. 4.* Gerhard. *tom. 7. LL. Theol. §. 687.* Idem dicendum, si quis ex

errore duxerit arctioris consanguinitatis vinculo sibi junctam, Carpz. 2. def. 99. nam detecto errore, errare velle improbum est, Mev. d. p. 2 dec. 365. n. 27. Pari ratione error circa virginitatem ad dissolvendum matrimonium facit, Carpz. 2. def. 193. quicquid eriam Wesenb. & Bachov. reponant. Nam qui defloratam pro virgine sibi desponsavit, eum non tantum in qualitate, quod illi volunt, sed & in Personâ, errasse apertum est, Can. un. Caus. 29. quæst. 1. Nec obstat C. 20. X. de Spons. ubi habetur, quod nuptiae cum meretricie etiam subsistere queant; loquitur enim textus ille de casu quo Maritus uxori ex certâ scientia delictum remisisse creditur. Legi insuper Divinæ aut Mosaicæ hæc nostra assertio convenientior est; nam Deut. 22. v. 20. & 21. ab alio compressa, aliquique pro virgine se substituens, capitali affici supplicio lapidibusque obrui jubetur. Non tamen prodeste Conjugibus vel sponsis errorem, qui circa fortunam aut qualitatem alterius committitur, idem Cypr. de Spons. Cap. 13. §. 35. & 39. docet. Nam qualitas æque, ac fortuna, ad matrimonii substantiam minime pertinent, sed accidentia tantum sunt, quæ salvo subiecto & adesse & abesse possunt, d. C. un. Caus. 29. quæst. 1. Vid. inter alia hæc uberior exponentem Excell. DN. PRÆS. in Dissert. Læpsie habitâ de Sponsalibus sub condit. contract. XL.

Ex errore præterea jus procreatur, quando interdum ad contractum nullum declarandum facit. Sic Emilio Venditio nulla est, si circa ipsum contractum error fuerit commissus, Lauterb. Schütz. Comp. Jur. tit. ff. de C. E. V. p. 312. v. g. si locari alter, alter vendi rem putet, arg. l. 18. ff. de R. C. consensisse enim dici haud possunt, qui ejusmodi diversam circa eandem rem fovent opinionem, consensum autem hujus contractus esse, patet ex l. 9. pr. de C. E. V. & d. C. un. Caus. 29. quæst. 1. Nec subsistit contractus, si circa materiæ substantiam error se insinuet, l. 9. §. 2. ff. de C. E. V. e. g. si

es pro auro, plumbum pro argento, veneat, l. 41. §. 1. ff. eod.
nec hinc interest, sive alterius tantum, sive uterque contra-
hentium, in ejusmodi errore constitutus fuerit, l. 14. ff. de
C.E.V. itemque sive in totâ materiâ, d. l. 14. sive in maximâ
eius parte fuerit erratum, arg. d. l. 41. §. 1. ff. de *C.E.V.*

XII. Idem jus obtinet, si circa Personam, cum quâ contra-
hitur, erretur, l. 9. pr. de *bened. infit.* l. 4. C. eod. quippe nec hi
consensisse videntur, qui in corpore personæ, cum quâ con-
tractum inire intendunt, errant, arg. l. 2. pr. de *Jud.* Verum
error Personæ non est, qui circa Personæ nomen committitur,
quando aliunde de cå constar, l. 80. de *Jud.* l. 5. §. 4. ff. de *R.W.* §. 29.
Inst. de leg. nominis enim error nullus quoad effectum est, seu
nil operatur, quod supra jam indigitatum. Porro vitiat er-
ror emisionem venditionem, si circa alteram objecti, circa
quod ille contractus versatur, partem, pretium inquam, in-
terveniat, l. 9. pr. de *C.E.V.* si nimirum Venditor majus,
Emtor vero minus intellexerit pretium. Aliud obtinet, si
Emtor majus pretium intelligat, &c. tunc enim, quoniam
nullum Venditoris damnum hac ratione in contractu versa-
tur, nec Emtor laeditur, minori pretio standum erit, arg.
l. 1. §. 4. de *V.O.* l. 52. locat. Lauterb. Schütz. *Comp.Jur.* d. l.
p. 313. 121. **XIII.**

Progedimur ad usucaptionem, in quâ jus translationis
dominii error etiam causatur. Nimirum generatim bonam
fidem, h. e. justum errorem possessoris, quod res sit ipsius pro-
pria, requisitum esse usucaptionis, quis nescit? Jam quod at-
tinget usucaptionem rerum mobilium, constat equidem ex §. 2.
Inst. de usucap. rem viciosam, nisi vitio suo purgata, §. 3.
Inst. eod. ne a tertio quidem b. f. possessore usucapi posse; (ali-
ud vero est, si de longissimi temporis præscriptione que-
ratur, re enim viciosa tanto annorum tractu à b. f. posses-
sore

sore possessa, procedere præscriptionem, ne dominia rerum
perpetuo sint in incerto, ex l. 3. & l. 4. C. de præscript. 30. vel 40.
annor. colligas;) Unde adeo suā sponte sequitur, rerum
mobilium usucaptionem b. f. possessoribus, h. e. in dicto ju-
sto errore versantibus, rarius competere, d. §. 2. Inst. de Usucap.
quoniam scil. is, qui rem alienam sciens alienat, furtum
eius commitit, d. §. 2. siquæ virtuosam eam reddit. Atta-
men non desunt etiam casus, quibus rei mobilis usucaptioni
locus est, quando scil. ejusmodi res, præsente justo errore,
sive bona fide, possessa est, & furti vitio non laboravit. Id
quod Imperator duobus potissimum modis (nam aliis quo-
que modis accidere id potest,) procedere in d. §. 2. affirmat.

Prior modus est, si heres ex justo facti errore, rem de-
functo locatam vel apud eum depositam, adeoque inter alias
res hereditarias repartam, pro re hereditariâ habens, ean-
dem vendiderit; hanc enim b. f. Emptorem usucapere posse,
dubium non esse Imperator asserit d. §. 2. Inst. de Usucap.
cum res in furti vitium minime cadat, quæ ex justâ ejusmodi
ignorantiâ alienatur ab herede. Plane ne desunt quidem,
qui heredem ipsum hoc in casu usucapere posse perhibent,
cum res quælibet vitio carent à quovis b. f. possessore usuca-
pi non prohibeatur: Sed quamvis verissimum sit, rem non
virtuosam usucapi posse à quolibet b. f. possessore, si titulus ad
usucaptionem necessarius concurrat; deficit tamen hoc in casu
titulus hujusmodi, cum nec locatio, nec depositum, ad trans-
ferendum dominium, & per consequens nec ad usucaptionem
sit habilis titulus. Nec urgere hic licet errorem heredis, qui
rem talem pro hereditariâ habet; apparent enim ex §. 6. Inst.
de Usucap. quod error falsæ causæ, (quando scil. aliquis justo
titulo, & ad transferendum dominium habili, possidere se,
cum tamen tali titulo non possideat, existimat,) usucapio-
nem non pariat, quoniam nemo sibi ipsi possessionis titu-
lum

titulum mutare valet, l. 3. §. 19. & l. 19. § 1. de acqui. vel amitti posse. Quæ quidem (in genere enim modo dictus §. 6. ad præsens pertinet institutum,) de errore facti proprii intelligenda sunt, quoniam error ejusmodi regulariter improbabilis est, l. 2. ff. de Jur. & fact. ignor. Secus est supposito errore facti alieni, v. g. si Procuratori meo rem emendam mandaverim, & ille mihi persuaserit, se emisse, atque ita rem tantum commodatam mihi tradiderit; quali casu usucapio, quia error est probabilis, utique procedit, l. 11. ff. pro Emotor. Hopp. ad d. §. 6. Inst. de Usucap. quem etiam conf. ad d. §. 2. verb. qui bona fide, ubi explicat, quod titulus pro herede, heredi hic non prospicit.

XV.

Posterior modus, quo Imperator rerum mobilium usucaptionem à b. f. possessore fieri posse demonstrat, est, si quis rem b. f. ab eo acceperit, qui eam ex Juris errore suam esse creditur posseditq; furtum enim tunc cogitari nequit, ut pote quod sine affectu furandi non committitur, d. §. 2. Inst. de Usucap. Exemplum in partu ancillæ nobis reliquit Imperator, quem partum fructuarius contra §. 38. Inst. de R. D. in fructu, adeoque suum esse putavit, ac proinde alienavit. Quâ occasione omnino hîc monendum, errorem juris equidem, quod ex præcedentibus etiam patet, non prodesse possessori in usucaptionibus, l. 31. ff. de Usurp. & Usucap. verum impræsentiarum error juris non interyenit à parte accipientis possessoris, sed tantum inest personæ tradentis. Sicut enim in illo requiritur b. f. & justus titulus, quem error Juris non tribuit: ita in hoc sufficit bona fides, quam error Juris semper non tollit, Hopp. ad d. §. 2. verb. partum suum esse.

XVI.

Error tradentis alteri aliquam rem, dominium ejus transire vetat, L. 35. ff. de acquir. rer. domin. Quod utique verum, si eretur in corpore tradendo, h. e. si alia res, quam de quâ convenerat, tradatur, d. l. 35. Error vero in Perso-

F nà,

nā , sive si alii , quam cui debetur , res sit tradita , dominii translationem non impedit ; is enim , cui per errorem solutum , sit dominus , neque vindicationi , sed condicōni postea locus erit , l. 6. §. ult. ff. de condicō. indeb. Exceptio est , si alter dolo pro creditore vel pro procuratore creditoris se geferit ; talis enim fur eset , nec adeo dominio potiretur , l. 43. pr. l. 44. pr. de furt. Error etiam in causā , quam partes erronee subesse putant , cum non subsit , & in quam , licet errantes , consentiunt , traditionem ratione dominii transferendi inefficacem non reddit ; quomodo indebitum ratione causæ solutum pariter non vindicari , sed condici , ex tot. tit. ff. de condicō. indeb. constat , (quem titulum , omnino ad thema nostrum spectantem , ultra ea , quæ Sectione præcedente ex eo allata sunt , recensere merito supersedemus .) Si vero partes contrahentes in causis dissentiant , & v. g. aliquis pecuniam ut donatam tradat , quam alter ut creditam accipit , transfire tunc dominium dicit Julianus l. 36. ff. de A. R. D. Cui non contrariatur Ulpianus in l. 18. ff. de R. C. ; si enim amico pecuniam donanti contradicam , & expresse ut mutuam accipiam , non est donatio , quia ego non acceperavi , nec mutuum , quia amicus non assensum præbuit , ac ita nil agitur , d. l. 18. Si vero numeret mihi pecuniam donandi gratia , ego , mentem ejus non assecutus , ut mutuam receperim , pecunia fit mea , & pro donatā habetur . Vid. omnino Huber . Digress. Justin. p. 2. l. 2. c. 6. (unde etiam totus hic noster Sphus petitus ,) ubi addit : Plus in re est , quam existimatione mentis , ait Paulus de eo , qui emis à domino , quem putabat non esse , in quem etiam transit dominium , l. 9. §. 4. ff. de Jur. & fact. ign. Quæ ratio Pauli non tantum ad modo dicta quadrat , sed etiam ulterius de errore ementis à Domino , quem Dominum non putabat , tanquam de casu ad nostrum thema similiter spectante , notanda venit .

XVII.

Tandem error in delictis id juris potissimum producit , ut

ex

ex eo delinquentes, licet forte obligentur ad damni delicto dati restitutionem, tam acerba tamen non afficiantur poenâ, ac si citra errorem peccâissent; imo ut aliquando penitus immunes à poenâ aut etiam damni restitutione præstentur illi, qui actum alias prohibitum ex errore perpetrant. Ne repetamus supra de Jūdice male judicante allata, exemplum nobis hic iterum suppediat Mev. p. 3 dec. 267, ubi differit de iis, qui improbam, sed nondum improbaram monetam expendunt. Hos considerans non inficiatur, illos, qui vitiosam monetam in usum venire sinunt, gravioris equidem culpæ reos esse, quam qui ejusmodi nummis post usum admissum utuntur, eosq; expendunt; horum tamen etiam poenam in Constitut. Carolin. art. 3. ultimum supplicium statui dicit, cum ipsi æque falsarii sint, ac moneram falsam fabricantes. At vero, his non obstantibus, aliud dicendum esse notat laudatissimus JCtus, si aliqui expendant monetam improbam, sed nondum improbatam, adeoque propter ignorantiam vel errorem justum ac probabilem excusat; error enim iustus ac probabilis utique erratur, quando moneta pro receptâ atque valente in loco, habetur, quæ, licet in se improba, in usum tamen venit: hocque in casu iterum ad erroris, quo fallentur monetam hujusmodi expendentes, probabilitatem justitiamque facit, quod errore fundentur communi. Pariter alteratur obligatio ad sustinendam poenam, cui alias subjetet homicida, si per errorem occidatur vel minoris vel majoris conditionis dignitatisque homo, quam cui homicidium erat destinatum. Nec minus huc spectat, si quis cum alienâ concubat conjugi, quam erroneè suam esse putat, itemque si errans adulteri cum propriâ commisceatur Uxore, quam pro feminâ matrimonio sibi non junctâ habet: de quibus similibusque casibus Moralista juriusque Naturalium Doctores, imo & Criminalistæ agunt. Nos tempore exclusi, talia, & quæ de restituitione in integrum ex capite erroris impetrandâ, aut de aliis specialibus materiis, supra traditis addi possent, cujusvis judicio ex generalibus principiis deducenda relinquimus.

S. D. G.

F 2

PRÆ-

PRÆCLARE DOCTO
DOMINO
RESPONDENTI
SVO

S. P. D.

PRÆSES.

Errorum communium multitudo soler-
tem tuum non latet animum : Non
ergo vano agetur errore , qui Seculo
Veritatis Jurisque cupido plura præ-
clara de Te promittet. Nec me ipsum , dum
scribere hæc non dubito , errore quodam abripi ,
hæc Tua Dissertatio , quam DE ERRORE JVS
FACIENTE exarâlti , egregiè comprobatum
dabit Quæstio , si Schiltero fides , magistralis
Exerc. ad ff. s.
g. 10.

nec

nec cum Divæ Themidos dedecore , sub accu-
ratum vocans examen , ejusdem sedem neuti-
quam imperite constituis in decantata *lege Barbarus Philippus. 3. ff. de Offic. Prator.*; quo pa-
cto avios aliorum errores graviterque de iis à
Schiltero fusas querelas prudenter evitas. Si-
militer male sterili haud indulges labori , quo il-
lustrium JCtorum Turba , nimirum Cujac. Ho-
tom. Robert. Cont. Briffon. Lopez. Jac. Go-
thofred. Zœf. & plures alii , de modo dictæ legis
interpunctione , lectione , explicatione , exten-
sione , restrictione , optimas ingéniorum sag-
cium vires (id enim conveniebat seculo infantia
scholasticæ , ut phrasî Schilteriana iterum
utar,) terebant. Potius ex genuinis principiis ,
ac ea ratione , quæ Dicasteriorum usui conveni-
re possit , demonstrare contendis , quomodo Ju-
ri anam præbere possit Errorum labes ; ita Brun-
nemanni insistens vestigiis , qui inficias eundum *adl. 3. ff. de Offic. Prator.*
esse negat , quod *error interdum occasionaliter*
jus faciat , non per modum causa. Inter alia à *n. 6.*
regio Veritatis non aberrant Tramite , quæ de
Errore , quod etiam aliquando Juri , prouti le-
gem humanam significat , fortuitam suggerat


occasionem, intrepidus statuisti. Dii terrestres,
qui leges condunt, homines tamen sunt; homi-
nes, inquam, quos ab omnibus mendis alienos
impie cogitaremus. An igitur, quod
d.l. laudatissimus Schilterus urget, sanctæ Ihe-
midi probroso foret dedecori, si jus nostrum,
quatenus ad homines originem suam refert,
in aliquibus errore potius, quam certa ratio-
ne niti, sinceri fateamur? Non universo uti-
que juri humano, nec majori ejus parti, imo ne
ipfis quidem Imperantium dispositionibus, prout
in se spectantur, improbe adscribimus Errorem;
sed illum nec semper, nec sæpius, sed tantum
aliando legi ferendæ suppeditare anfam, ipsam
que adeo legis essentiam non ingredi, evidentiâ
rei convicti defendimus. Homines Astrææ
almæ gerentes Curam, ornatuque eam insignire
laborantes conveniente, non majus tamen ipsi
conciliare poterunt Decus, quam misera fert in-
doles humanorum inventorum, quæ nunquam
omnibus numeris aboluta. Quid? quod splendido
Justitiæ Divinæ Cultui tantum non aliquid impro-
vide detraherent, saltem illam plurimis parasangis
ab humana distare obliviscerentur, qui homines
Legis-

Legislatores nullo unquam seductos fuisse errore, aut superbi, aut cæci Leguleji crepare auderent. Errare humanum, sed errorem agnoscere nolle pessimam desperatamque arguit pertinaciam.

Cæterum potuisses plures materias & quæstiones utilitate præstantiores, interque eas etiam quasdam ad Jus publicum pertinentes, hic discutere, latiore discursu quædam persequi, ac veris sententiis in phrasibus propriis, quam nonnunquam fecisti, accedere; ut silentio præterea nimia diligentia excessum, qua dogmata Juris Naturalis, & cuivis patentia perque rerum naturam certa brocardica, Legum ac Doctorum auctoritatibus (quarum allegationem tuæ relinquo fidei,) firmare sustinuisti. Verum non levia largissimæ Excusationis momenta, præter alia, suffudit Tibi tum breve temporis spatium, quod habendæ Dissertationi præfixum, tum inveterata Consuetudo aliarum Dissertationum Juridicarum, Juventamque Themidi sacratam formantium Doctorum. Nihil ergo omnino obstare sentio, quo minus Augurio non erroneo Te dimittam.

mittam. Nimirum tam bene vereque de Errore Jus faciente differens, sicque perspicuum reddens, Te vagos citra errores ad interiora Astrææ penetralia pergere, Tibi ipsi felicissime facies Jus penetrandi pariter citra perplexos Erros in augusta veri justique Honoris adyta. Vale! Scribebam Altdorffii Noric. d. 7. Junii A. O. R. MDCCVII.





ULB Halle
001 944 55X

3



S.6.



B.I.G.



2 DISSERTATIO JVRIDICA
De
ERRORE
JVS FACIENTE,

Qvam
DIVINO ADSPIRANTE
NVMINE,
SVB PRÆSIDIO

DN. ADAMI BALTHASARIS
WERNERI,

Cti, Sereniss. Ducis Saxo-Weissenfels.
Consiliarii,

Pandect. Prof. Publ. Ordinar. & Facultatis Jurid.
h. t. Decani,

in Ordine, qvem vocant, Circulari.

d. Jun. A.C. MDCCVII.

H. L. Q. C.

publicæ disqvisitioni submittit
AVCTOR & RESPONDENS

OHANNES LVDOVICVS MYLIVS,
Solisb. Palat.

KÖNIGFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

ALTDORFI NORICORVM,
Excudit HENRICVS MEYER, Universitatis Typographus.

